



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

VIII. Quid sit potentia obedientialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

§. I.

Exploditur sententia Ripalda.

respectu alicuius actus, quem non posset adequatè intellectus recipere. Hoc tamen non est proprium omnis principij passivi, respectu omnis effectus recipiendi, quia intellectus necessariò recipit aliquem habitum, vel actum supernaturalem immediatè sine consortio alicuius principij supernaturalis passivi, quasi hoc comprincipium recipiatur in intellectu, vel recipiatur tantum in principio passivo naturali secundum substantiam, vel in infinitum esset abundum, vel deberet esse creatum, & hoc nullum potest de facto excogitari respectu intellectus de facto existentis.

26 Posses contra hanc doctrinam non abs re obicere: Potest dari potentia passiva naturalis secundum suam entitatem adequatam respectu effectus recipiendi in ratione principij passivi, quæ obedientialis dicitur in ordine ad talem effectum, quia connotat principium actuum supernaturalem & indebitum, sine quo non potest materialiter effectum causare, quæ præcisè eleuatur per aduentum principij actui supernaturalis: ergo poterit dari virtus activa naturalis secundum substantiam, quæ sit adequata in ratione virtutis actiue naturalis, & obedientialis dicatur, quia connotat passum supernaturalem, & indebitum, quod illi non potest naturaliter coniungi, sine quo non poterit effectum producere. Respondeo negando consequentiam, rationemque disparitatis assigno. Principium actuum adequatè secundum se totum naturale non potest esse principium actionis supernaturalis, & ita non potest agere circa subiectum supernaturale, quia omnis passio subiecti supernaturalis, quæ est eadem cum actione est supernaturalis, ex quo fit principium actuum adequatè naturale non posse eleuari a passio supernaturali, cum non possit agere circa illud. Principium verò passuum adequatè naturale potest esse principium passionis supernaturalis, ac proinde potest pati ab agente supernaturali, & ab illo eleuari.

27 Noro etiam non solum dari eleuationem & potentiam obedientialem principij naturalis ad effectum supernaturalem, & principij imperfectioris ad effectum perfectiorem; sed etiam principij supernaturalis ad effectum supernaturalem, & principij supernaturalis ad effectum naturalem, & absolutè principij perfectioris ad effectum imperfectiorem, & principij perfecti ad effectum æquè perfectum. Ratio à priori est, quia in his omnibus entitatibus potest dari ad hos omnes effectus ratio potentie inchoata, quæ non possit compleri naturaliter per aliam potentiam. Potest enim dari Angelus habens virtutem inchoatam, & inadéquatam ad producendam formam cuiusdam alii materialis, quæ tantum possit compleri per omnipotentiam, vel saltem per aliam concausam supernaturalem, & tunc Angelus spiritualis perfectior forma alii habebit virtutem obedientialem respectu effectus materialis, & imperfectioris. De aliis potentiis annumeratis exempla sunt obuia.

PUNCTUM VIII.

Quid sit potentia obedientialis.

I Quam grauitè in hac re offendunt graues auctores sapientissimi que recentiores, qui non distinguunt inter potentiam obedientialem, & eleuationem eiusdem potentie, pleraque confundunt, & doctores, quorum sententiam amplectuntur abs re impugnant, & contra asserentes eleuationem fieri per qualitatem inhaerentem, motumve transeuntem, probant potentiam innatam esse intrinsecam, & indistinctam à creatura, & contra illos, qui dicunt virtutem obedientialem esse indistinctam à creatura probant creaturam eleuari per aliud comprincipium, seu auxilium extrinsecum, & ita Doctores inter se non dissidentes concertationes fingunt, prolixasque excitant quæstiones, in quibus si distinctè procederent, clarè apparerent, illaque rerum distinctarum confusione omnibus tenebrescunt. Non vacat omnium Doctorem mentes explicare, quos pro mea adducam sententia fideliter referam, monèoque ab aliis relatos legendos esse, plures enim inueni quos finistrè etiam doctissimi viri interpretantur. Claritate & distinctione, quam semper affecto rem tractabo.

2 Noster Ripalda tom. 1. de supern. quæst. 41. sect. 9. & 6. duplicem actiuitatem in potentia obedientiali distinguit, conditionalem vnam, & aliam absolutam. Virtus conditionata est, quæ entitas non est absolutè adhuc inadéquatè potens, sed tantum sub conditione si illi adfuerint reliqua comprincipia supernaturalia requisita ad effectum, cum quibus entitas nullam habet connexionem, quia illa sunt supernaturalia, & entitas, quæ virtus obedientialis denominatur est naturalis, nihilque naturale connexionem habet cum re supernaturali. Alia est virtus absoluta, etsi inadéquata, quæ absolutè intellectus inadéquatè est potens producere visionem. Virtutem illam conditionatam asserit non distingui ab entitate rei, virtutem verò absolutam asserit distingui inadéquatè adhuc ut virtus partialis est ab entitate, quæ dicit in recto entitatem rei, & in obliquo adiutorium Dei, seu auxilium intrinsecum, quo virtus illa conditionata transit in absolutam, & formaliter constituitur virtus inadéquata partialis effectus. Itaque virtus absoluta partialis, quam habet intellectus ad visionem beatam dicit in recto ipsum intellectum, & in obliquo lumen gloriæ, & possibilitatem visionis, cum quibus illa conditionata cum intellectu identificata connexionem non habet, quia nihil naturale connexionem potest habere cum entitate supernaturali.

3 Rationem huius distinctionis inadéquatæ virtutis absolutæ partialis desumit ex natura eiudem entitatis habentis potentiam obedientialem, quæ absoluta debet esse ab aliis comprincipiis supernaturalibus, quibus indiget ad suum effectum producendum, & sine quibus impotens est illos producere. Ex hoc capite infert distinctionem inter potentiam partialem, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, & ad supernaturalem. Quia intellectus in opinione Ripaldæ connexionem habet cum possibilitate omnium cognitionum naturalium, quas potest efficere, & omnium principiorum, quæ per se requiruntur ad has cognitiones efficiendas, ac proinde per se ipsum est cum omni, quod requirit ad cognitiones producendas, & ita per se ipsum potest dici virtus partialis absoluta effectus: idem verò intellectus connexionem non habet cum possibilitate visionis beatæ, neque luminis gloriæ requisiti ad visionem, quia etiam si vtrumque repugnaret, permaneret idem intellectus, & ita indiget non non repugnantia horum, ut absolutè sit potens, adhuc partialiter producere effectum, & cum non habeat connexionem cum tali non repugnantia, quovis ipsa, intelligatur non intelligitur intellectus adhuc partialis absoluta virtus ad producendum effectum. Ex hoc infert absolutam virtutem tantum dicere entitatem intellectus, sed etiam importare in obliquo alia comprincipia, cum quibus ex se posset intellectus non coniungi, & sine quibus non esset absolutè adhuc partialiter potens. Idem dicit de omnipotentia quatenus virtus adequata productiua ignis, quæ non est virtus productiua absoluta quovisque intelligatur possibilitas ignis, quia hac deficiente omnipotentia non poterit absolutè ignem producere, & nullam connexionem habet cum illa, ratione cuius non possit deficere. Eandem doctrinam tradit de potentia obedientiali passiva disp. 25. sect. 3. asserit enim potentiam obedientialem intellectus ad recipiendam visionem, seu quamlibet formam substantialem duplicem esse, conditionatam, & absolutam, illam non distinguit ab intellectu, hanc asserit distingui inadéquatè, quia supra entitatem intellectus dicit possibilitatem formæ supernaturalis recipiendæ, & principij actui requisiti ad producendam talem formam supernaturalem, cum quibus non habet connexionem propter rationem iam dictam, videlicet, nullam entitatem naturalem per se esse coniunctam cum entitate supernaturali adhuc ut possibili.

4 Multa mihi in hac sententia displicent, nonnulla attinam. Nec verè supponit hic auctor, nec bene infert: non verè supponit, quia falsum est intellectum habere connexionem cum cognitionibus naturalibus, quas potest producere, & cum illarum principiis per se requisitis, & illa non habere cum cognitionibus supernaturalibus, ut ostendam Controuerf. 10. Metaphysic. ubi probabo intellectum non habere connexionem cum cognitionibus naturalibus, & casu, quo illam haberet eandem habiturum cum cognitionibus etià supernaturalibus. Non verè infert, quia

admissa

admissa hac differentiâ inter causam in ordine ad effectus naturales, & supernaturales, quos potest producere, eodem modo philosophandum est de virtute partiali illius in ordine ad omnes effectus, quod sic probabo. Non minus dependet intellectus à principio naturali ad cognitionem naturalem eliciendam, quam dependet à principio supernaturali ad eliciendam cognitionem supernaturalem, etiam si cum isto non habeat connexionem quam habet cum illo, quia intellectus non potest sine specie naturali, vel aliquo supplente vices illius adhuc supernaturaliter elicere cognitionem naturalem, si enim velit Deus intellectum elicere cognitionem naturalem sine specie impressa tenebitur supplere concursus, quem praestitura erat naturalis species, & in opinione, quam ego cum hoc Magistro defendo, hæc cognitio secundum speciem essentialiter dependet ab specie impressa, quia per se ipsam nullâ interiectâ actione distinctâ dependet à principio: (suppono modò cum communi sententia cognitionem dependere ab specie impressa, idem enim erit si immediate dependeat à phantasmate) ergo sicut intellectus ex eo, quod non possit sine lumine gloriæ elicere visionem beatam, non est adhuc partialiter absolute potens donec intelligatur in obliquo lumen gloriæ, & possibilitas eiusdem visionis, quæ si absit nullo modo poterit visionem producere, ita intellectus ex eo quod non possit adhuc supernaturaliter sine aliquo comprincipio, & in omnium sententia, hanc actionem in specie, sine distinctâ, siue indistinctâ à termino sine specie impressa producere, & sine non repugnantia eiusdem actionis adhuc ut partialis, absoluta potentia dicit in obliquo speciem impressam, & possibilitatem visionis: ergo adhuc ut partialis virtus dicit aliquid distinctum à se ipso videlicet, speciem impressam naturalem, & possibilitatem visionis: ergo sicuti virtus partialis absoluta, quam habet intellectus ad visionem beatam dicit in recto & in obliquo comprincipia ad visionem, & huius possibilitatem ita virtus partialis absoluta ad cognitionem naturalem dicit in recto entitatem intellectus, & in obliquo comprincipia essentialiter requisita ad talem cognitionem, & illius possibilitatem: ergo utraque virtus absoluta inadæquatè distinguitur ab intellectu.

Respondet Ripalda intellectum habere connexionem cum principis requisitis ad intellectionem naturalem & cum possibilitate huius, & non habere connexionem cum comprincipiis requisitis ad cognitionem supernaturalem, neque cum possibilitate talis cognitionis supernaturalis. Bene: sed non satis. Admitto hanc connexionem cum illis extremis, & non cum istis, & arguo: Connexio quam habet intellectus cum comprincipiis requisitis ad cognitionem naturalem, & cum possibilitate eiusdem, potest considerari quatenus dicit utrumque extremum connexionis in recto, vel quatenus dicit unum in recto, & aliud in obliquo, vel præcisè quatenus dicit entitatem intellectus præcisam, & adæquatè distinctam ab alio extremo, cum quo habet connexionem, quæ talis est, ut ipsa non esset, si non esset alterum extremum, cum quo esset connexa: duobus prioribus modis inadæquatè distinguitur ab intellectu, saltem illo modo, quo potentia partialis ad visionem beatam distinguitur ab intellectu; posteriori modo non potest intellectus etiam si in se imbat illam connexionem intelligi virtus partialis effectus, quod sic probabo. Non potest intelligi partialis virtus secundum doctrinam huius auctoris, quin dicat formaliter ut virtus absoluta partialis saltem in obliquo illud, sine quo implicat poni effectus: sed non potest poni effectus sine aliquo distincto ab intellectu ut connexo sumpta connexionem posteriori modo: ergo non potest intelligi intellectus partialis virtus effectus, seu cognitionis naturalis, quin intelligatur in obliquo aliquid distinctum ab intellectu ut connexo sumpta connexionem posteriori modo præcisè quatenus dicit alterum extremum, videlicet intellectum. Maiorem probo: ex eo non potest intellectus intelligi ut partialis virtus visionis beatæ, quin intelligantur in obliquo comprincipium intellectus ad visionem, & possibilitas visionis, quia sine hoc comprincipio, & sine hac possibilitate repugnat visionem fieri ab intellectu: ergo intelligenda sunt omnia, sine quibus repugnat effectus saltem in obliquo, ut aliqua virtus illius, quæ per suam entitatem est virtus conditionata, sit absoluta virtus, etiam partialis talis effectus productiva. Minus

rem ostendo: sumpto intellectu quatenus præcisè dicit unum extremum connexionis, quin in recto, aut in obliquo dicat formaliter alia comprincipia ad cognitionem naturalem, & possibilitatem cognitionis non dicit hæc comprincipia, neque hanc possibilitatem, sed sine his comprincipiis, & sine hac possibilitate repugnat fieri cognitionem: ergo intellectus quatenus præcisè dicit unum extremum non dicit omnia, sine quibus repugnat cognitio.

Dices non posse sumi intellectum ut connexum, quin formaliter ut tale dicat in obliquo aliquod extremum cognitionis. Non verè, quia etsi unum extremum ut relatum non possit cognosci sine alio, bene tamen adæquatam distinctionem ego apprehendo inter utrumque. Sed esset intellectus est partialis virtus effectus naturalis ut connexus cum comprincipiis & cum possibilitate effectus, sed ut connexus dicit in obliquo extrema à se distincta: ergo ut partialis absoluta virtus dicit in obliquo extrema à se distincta: ergo virtus partialis, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, dicit in obliquo aliquid distinctum ab ipso intellectu: ergo eodem modo compleatur per aliquid distinctum ab intellectu inclusum in obliquo virtus partialis, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, & virtus, quam dicit idem intellectus ad cognitionem supernaturalem. Unum iuxta principia Ripaldæ inferrem ego, videlicet virtutem partialem ad visionem supernaturalem compleri per aliquid distinctum ab intellectu, cum quo intellectus habet connexionem, & ita ex parte intellectus non repugnare non compleri in ratione virtutis partialis per illud extrinsecum; virtutem tamen partialem intellectus ad cognitionem naturalem compleri per aliquid distinctum ab intellectu, cum quo intellectus essentialiter connexionem habet, & ita repugnare ex parte intellectus ipsum non compleri in ratione virtutis partialis, licet per aliquid distinctum compleatur, sicuti dicam ergo de veritate formali cognitionis, quam habet Deus de obiecto creato, quæ formaliter dicit aliquid inadæquatè distinctum à cognitione creata, licet præcisè ratione cognitionis implicet, illa existente, non coniungi cum illo extrinseco, per quod complenda est formalis virtus cognitionis.

Urgeo: aliud est formaliter connexio formalis huius extremi ad illud, aliud formalis coexistentia utriusque: connexio huius extremi ad illud, formaliter tantum dicit entitatem huius extremi, neque aliud connotat tanquam formale constitutum connexionis, sed tanquam terminum quem respicit connexio adæquata cum hoc extremo adæquatè distincta à termino; verbi gratia connexio, quam habet virtus productiva caloris igni identificata cum calore possibili iuxta communem sententiam dicit tantum entitatem ignis adæquatè distinctam ab omni alio, quia entitas ignis quocumque alio seculo talis est ut præcisè ex suis predicatis intrinsecis existere non possit sine possibilitate caloris, quod est formaliter ignem esse connexum cum possibilitate caloris. Coexistentia formalis utriusque extremi connexi formaliter dicit existentiam huius extremi illi extrinsecam, & existentiam illius extrinsecam huic. Et etiam si formaliter velis præcendere hoc extremum ut illi formaliter coexistens ab illo, ut huic coexistenti, quæ impræcindibilia sunt, adhuc quando meditaris hoc extremum illi formaliter coexistens formaliter pertinet ad hanc coexistentiam, alterius existentia in obliquo importat, sed nulla virtus partialis indiget præcisè connexionem ipsius cum alio comprincipio ad producendum effectum, sed coexistentia: ergo si virtus ex se conditionatè potens per aliquid aliud constituenda est virtus partialis absoluta, non est per connexionem, quam ipsa dicat formaliter, sed per coexistentiam: ergo si aliquam formalitatem importat partialis absoluta virtus præter illam, quam vocat Ripalda virtutem conditionatam, est coexistentia, & connexio: ergo virtus absoluta partialis si aliquid addit supra illam, quam conditionatam vocat Ripalda, non est connexio, sed coexistentia ipsius cum aliis comprincipiis, & cum possibilitate effectus, ergo semper importat aliquid extraneum. Probo minorem, videlicet, nullam virtutem partialem indigere connexionem cum aliis comprincipiis, neque cum possibilitate effectus sed coexistentia ad producendum effectum. Finge tibi, quod mihi verum est, potentiam visivam non habere connexionem cum specie impressa, neque

neque cum possibilitate visionis naturalis, & habere co-existentiam cum his extremis sine aliqua connexionem ex parte vnius cū alio: in hoc casu potentia visiva absoluta ab omni connexionem produceret tanquam causa partialis visionem essentialiter dependentem à potentia & ab specie impressa, eodem modo, ac si comprincipia ipsius inter se essent connexa, & vtrumque cum possibilitate: ergo connexionio comprincipiorum formaliter nihil conducit ad productionem, sed tantum remore, seu causaliter, quatenus connexionio infert co-existentiam. Patet in intellectu instructo lumine gloriæ qui visionem producit, etiam si intellectus connexionem non habeat cum lumine gloriæ, neque cum possibilitate visionis in opinione huius auctoris, quæ illi non accrescit ex co-existentia, non enim eo ipso quod duo co-existent sunt connexa, quotiescumque enim hoc extremum illi co-existit eodem modo extitum, si alterum non existeret, co-existentiam habet cum illo, non tamen connexionem: ergo ad hoc ut virtus partialis absoluta sit, numquam indiget connexionem, sed co-existentia cum altero extremo, quæ semper dicit aliquid extrinsecum extremo co-existenti. Quod si virtus absoluta actiua desideraret connexionem entitativam causæ cum effectu ut docet Ripald. sect. 9. num. 67. numquam intellectus, quantumvis instructus lumine gloriæ esset causa absoluta visionis inquitur Dei, quia numquam habet connexionem cum illa, cum ita illi co-existat, ut visione non existente & repugnante, existeret eodem modo. Dices: intellectum ut instructum lumine gloriæ habere hanc connexionem, sed hoc est dicere, lumen gloriæ illam habere, & non intellectum, sed adhuc efficacius arguo. Demus intellectum adiutum speciali concursu Dei absque lumine gloriæ visionem producere; tunc intellectus neque ratione sui, neque ratione omnipotentis connexionem haberet cum effectu, neque cum possibilitate illius: ergo non desideratur ad virtutem absolutam connexionio entitativa inter causam, & possibilitatem effectus, sed tantum co-existentia. Patet hoc omnibus effectibus qui tantum dependent à Deo, qui nullam connexionem habet cum possibilitate illorum.

8 Vltimò, id quo indiget virtus partialis naturalis ad effectum producendum, non est possibilitas tantum aliis comprincipij, non enim voluntas potest amare proximè, & formaliter ex eo quod sit possibilis cognitio representans obiectum, neque potentia visiva potest videre, quia possibilis est species impressa, sed quia actu illam habet: ergo si potentia visiva formaliter ut causa partialis visionis diceret connexionem cum alio comprincipio videlicet cum specie, non haberet hanc connexionem cum specie, ut possibilis, sed ut existens, sed hanc non habet, cum naturaliter sit potentia visiva sine hac & illa specie essentialiter requisitis ad certas visiones, vel saltem ad actiones productivas illarum, si producantur per actiones interiectas: ergo nullam connexionem dicit formaliter ex conceptu absolutæ partialis potentie creatæ.

9 Displicet etiam in hac sententia possibilitatem effectus pertinere formaliter ut connotatum ad rationem potentie absolute partialis, & totalis. Quod sic impugno: conceptus virtutis, seu potentie absolute, est conceptus illius, à quo actio existens fluit, atque dependet: sed actio existens numquam fluit neque dependet à possibilitate ipsius neque sumpta in recto, neque in obliquo: ergo possibilitas potentie nullo modo spectat ad conceptum quidditativum potentie. Dices ex hoc inferri non spectare in recto, sed spectare in obliquo. Explicemus terminos, & non demus verba: illa possibilitas effectui in obliquo, vel est formaliter constitutiva potentie, ita ut quidquid intelligatur adequatè distinctum ab illa etiam cum ordine ad ipsum non habeat totam rationem constitutivam potentis influere per modum causæ totalis, neque partialis absolute, vel tantum est terminus sine ordine ad quem non potest intelligi conceptus causæ partialis, aut totalis. Hoc non dices, ne totam sententiam retractes: primum dici non potest, quia actio essentialiter dependet ab adequata ratione constitutiva potentie, quia potentia tantum dicit formaliter id, à quo per se dependet actio: sed actio non potest dependere à sua possibilitate physice, sed tantum obiectivè, modo explicato Controv. 7. puncto 2. num. 10. ergo possibilitas actionis nullo modo potest pertinere ad rationem constitutivam principij absolute productivi. Vnde quæ ibi dixi contra hunc dicendi modum, vbi probavi

Franc. Oniedo, de Philosoph. Tom. I.

possibilitatem actionis, seu effectus non pertinere ad actum primum, & explicui quomodo etiam implicante actione effectus non possit produci, actionis non repugnantia non spectat ad conceptus actus primi potentis producere effectum. Hæc omnia in potentia receptiva clariis parent, quis enim dicit possibilitatem formæ tenere se ex parte conceptus quidditativi principij passivi absolute potentis recipere formam? Non vacat latius hæc expendere, quæ ex traditis principiis non difficile latius quisquæ impugnet.

Ex eadem doctrina impugnandum est id, quod asserit de omnipotentia intrinsecè absoluta à possibilitate effectuum, videlicet, non esse intrinsecè per suam entitatem virtutem productivam illorum, sed tantum conditionatam, quæ sit absoluta supposita possibilitate effectuum, quod falsum est. Quia id, quod est tantum conditionatum & non absolutum, non est, sed esset: si autem Deus intrinsecè non est absolute potens, simpliciter non est intrinsecè potens. Secundò quia purificatio conditionis vel expectanda est ut conditio omnino extrinseca ad potentiam absolutam sicuti expectatur conditio in hoc conditionato, si petieris dabo, cuius conditionatus eventus adequatè distinguitur à conditione, ita ut purificata conditione eventus iam absolute existens formaliter non constituitur per conditionem, & ab illa dependet, vel expectatur ut conditio non extrinseca, sed intrinseca, cuius purificatio est de ratione constitutiva eventus modo conditionati, purificata conditione futuri absolute: sicuti in hac conditionali: si anima rationalis unita fuerit materiæ, erit totum. Non primo modo, quia purificata conditione creaturarum possibilitum nihil ponitur adequatè distinctum ab hac conditione, ratione cuius omnipotentia, quæ antea non erat absoluta formaliter absoluta constituitur, quia purificatio conditionis extrinseca non constituit, neque inadæquatè formaliter absolutum eventum, quia antea erat conditionatus. Quod si dicas aduenire Deo aliquid non realiter, sed virtualiter distinctum, nolo tecum de hac virtuali distinctione contendere, sed infero contra te, per hoc prædicatum constitui omnipotentiam absolutam, & non formaliter per purificationem conditionis, & ita possibilitatem creaturarum non pertinere ad conceptum omnipotentie. Si dicas possibilitatem esse conditionem intrinsecam constitutivam omnipotentie, constituis Deum omnipotentem formaliter per possibilitatem effectuum, & illius virtutem actiivam fingis partim creatam, partim incretam: incretam dicit entitatem Dei, creatam quatenus dicit possibilitatem effectuum; partim existentem; partim non existentem: non existentem quatenus dicit possibilitatem creaturarum, quæ simpliciter non existit, sed tantum obiectivè quovis de facto sit existens. Constituis insuper omnipotentiam totum quoddam per accidens dicens formaliter, & intrinsecè entitates distinctas non unitas, neque mutuo connexas, quia entitas Dei neque unitur, neque connectitur cum possibilitate creaturarum.

Dices: Ex his duobus pertinentibus formaliter ad conceptum omnipotentie, vnum tantum includi in obliquo: sed hæc verba iam abegi num. 9. quidquid enim pertinet formaliter ad essentiam alicuius, si non pertinet ut quid extrinsecum, sed formaliter ut quid constitutivum, est de illius essentia, & verè dicitur essentia constare ex hoc obliquo & illo recto æquè essentialiter, in his enim quæ essentialia sunt non est vnum essentialius alio. Nota nonnullos foedè terminos contradictorios replicare, respondentes possibilitatem esse constitutivum formale extrinsecum omnipotentie, constitutivum enim essentialia, & extrinsecum manifestam involunt implicacionem; quidquid enim est constitutivum alicuius est de essentia illius, & nihil rei magis intrinsecum, quàm propria essentia, cuius nihil potest esse extrinsecum. Deberent dicere, qui ita omnipotentiam Dei constituent, possibilitatem creaturarum esse extrinsecam Deo, intrinsecam tamen omnipotentie, sicuti privatio præcedens actionem educivam, extrinseca est educationis, intrinseca tamen mutationi, quæ formaliter dicit ipsam educationem, & privationem præcedentem. Quomodo omnipotentia in ratione virtutis productivæ sit absoluta, & intrinseca Deo, & esset eodem modo etiam si omnes creaturæ repugnarent, & ita sit de facto respectu illarum, quæ

quæ repugnant dixi Controv. 7. punct. 2. citato, & latius dicam in Metaph. Punct. 4. Controv. 10. Omitto alia argumenta, quæ in hanc sententiam adducit ipse Ripal. sect. 9. quorum solutiones expendere non vacat.

S. II.

Propria sententia.

12 Longum sanè esset omnium sententias impugnare, quapropter ad propriam accingor, inter quam explicandum obiter insinuabo, quid alij etiam à quibus dissentimus, sentiant, quos doctè, & solidè impugnant nostri. Lege si placet Soar, Vasquez, Ripal. locis citatis, Ruisium de voluntate Dei disp. 1. num. 7. & disp. 46. num. 15. & Alarcon tract. 1. de vis. disp. 2. cap. 11. & apud quos innumeros alios reperies.

13 Affirmo potentiam obedièntialem esse intrinsecam entitatem, quæ potest elevari ad effectum, ita ut in intellectu ratio potentia obedièntialis, neque inadæquate distinguitur ab ipso intellectu, qui per suammet entitatem intrinsecam est virtus, seu potentia inadæquata ad visionem intuitivam Dei, talis tamen conditionis, ut non possit reduci ad actum ex defectu aliis principij quovis illud coniungatur intellectui, quod cum supernaturale esse debeat non potest naturaliter coniungi, & ita neque virtus illa inadæquata intellectus potest naturaliter reduci ad actum: ita tenent uterque Societatis Magister, Vasq. & Soar locis citatis puncto 3. quos sequuntur P. Didac. Ruiz. Arrub. Gran. Albert. uterque Hurtadus, Salmant. & Complut. alique quàm plurimi doctores. Neque in hac re dissentiant P. Soar & P. Vasquez, ut falso nonnulli existimavit, uterque enim concedet virtutem obedièntialem esse intrinsecam rei, quæ illa gaudet, dissentiant tamen ex eo quod Soar hanc virtutem obedièntialem omnibus entitatibus impertitur, & ad omnes effectus accommodat, Vasquez vero tantum certis entitatibus ad certos effectus, & non alios producendos, virtutem hanc lagitur, quod bene notavit P. Alarc. supra n. 42. & dubitavit nemo. Eadem tantum est dissensio inter utrumque Hurtadum, aliosque quàm plurimos, quorum aliqui sententiam Soarij propugnant, alij opinionem Vasquez amplectuntur, omnes tamen vno ore fatentur potentiam obedièntialem esse intrinsecam, & identificatam cum entitatibus, in quibus reperitur. Conclusionem probò ex his quæ statuebam punct. 7. Entitas quæ dicitur potentia obedièntialis ut distincta ab omni alia, verbij gratia, intellectus ut distinctus à lumine gloriæ influit in visionem intuitivam Dei, & per suam entitatem tangit causalitatem, siue distinctam, siue identificatam, per quam producit visio: ergo per suam entitatem ut distinctam à lumine gloriæ habet potentiam non quæ possit reduci ad actum naturaliter: ergo non naturalem: ergo obedièntialem. Confirmatur: æquè essentialiter dependet visio intuitiva Dei à meo intellectu tanquam à principio efficiente, quo non influente fieri repugnat: & qualibet alia naturalis cognitio: ergo visio intuitiva Dei dependet tanquam à principio effectivo ab intellectu, non tanquam à principio adæquato, & naturali: ergo tanquam à principio inadæquato & obedièntiali: ergo intellectus est principium inadæquatum, & obedièntiale visionis. Dices esse principium inadæquatum, non tamen per suam entitatem. Contrà: nihil superadditum dat intellectui actiuitas extrinseca, quam ipse non habeat, sed adiuvat ut faciat id quod non posset facere: quia tantum habebat actiuitatem intrinsecam obedièntialem: sed intellectus etiam producat visionem supernaturalem Dei adiutus lumine gloriæ illam producit per propriam actiuitatem: ergo per propriam actiuitatem, quam habet à se & non ab alio, quia antequam illi adiungatur lumen gloriæ ut adiuvet intellectum ad visionem, debet supponi intellectus cum actiuitate inchoatâ, & inadæquata ad videndum, aliàs æquè posset lumen gloriæ adiuvare lapidem & intellectum ad producendam visionem, & ad videndum Deum.

14 Dico secundò. Potentia obedièntialis semper indiget, ut reducatur ad actum concursu indebito, aliàs esset naturalis, & potentia, quæ simpliciter est obedièntialis respectu substantiæ effectus, semper connotat aliud principium indebitum, quod necessarid debet esse principium supernaturale, si effectus producendus sit supernaturalis, & potentia obedièntialis. Hoc sibi volunt multi, qui dicunt

potentiam obedièntialem rei naturalis ad producendum effectum supernaturalem dicere intellectum connotantem lumen gloriæ, aliudve principium supernaturale. Ratio est: omnis potentia inadæquata connotat aliud principium, quo indiget ad effectum producendum, non tanquam sibi debitum, sed tanquam aliud sine quo effectum ad quem non habet virtutem adæquatam, producere non poterit: sed omnis potentia obedièntialis ad substantiam effectus, præcipue naturalis ad effectum supernaturalem non potest efficere effectum sine alio principio indebito: ergo illud connotat non tanquam debitum, sed tanquam aliud, sine quo non potest producere effectum. Duo ergo connotat obedièntialis potentia, effectum indebitum, commune enim est omnipotentie connotare effectum, & proprium potentie obedièntialis, hunc effectum ab illa connotatum illi esse indebitum, connotat etiam principium similiter illi indebitum, si sit potentia obedièntialis ad substantiam effectus, quia de ratione talis potentie est esse principium inadæquatum, & omne principium inadæquatum connotat aliud principium inadæquatum, per quod compleatur. Quod si principium inadæquatum obedièntiale sit, necessarid alterum principium connotatum erit indebitum, in hoc enim differt potentia obedièntialis à naturali, quod huic debetur alterum principium, & non illi. Quod si potentia tantum sit obedièntialis respectu modi, quo effectus producit, non connotat alterum principium indebitum sed concursum generale secundum substantiam datum cum non debetur, per eandem enim actionem ignis ager supernaturaliter in distans, quæ ageret naturaliter in idem passum propinquum. Neque ratione harum connotationum addit potentia obedièntialis supra entitatem aliquid distinctum formaliter pertinens ad constitutum potentie obedièntialis, quia in intellectu, qui est principium partiæ intellectus naturalis, & supernaturalis non distinguitur realiter connotatio ad effectum, & ad alterum principium, quia termini connotati non pertinent ad constitutum intellectus illos connotantis, sed tantum ab illo respiciuntur unus tanquam effectus, & alter tanquam principium, quod cum altero constituit vnum principium adæquatum, sicut de conceptu partis est ordo, seu respectus ad alteram partem, non tamen una pars pertinet ad rationem formalem constitutum alterius & de conceptu causæ est ordo ad effectum, non tamen effectus est ratio constitutiva causæ, neque refert extrema non esse connexa ut hinc ordinem habeant, quia in omnium opinione etiam si lumen gloriæ indebitum sit intellectui, habet hic innatam virtutem ad videndum adiutus lumine gloriæ, quam non habet lapis, ac proinde maiorem aliquem ordinem habet intellectus ad lumen gloriæ, & ad visionem beatam, quàm lapis.

15 Dico tertio. Potentia obedièntialis ad substantiam effectus eleuatur per alterum principium, quod illi adiungitur ad effectum producendum, siue sit creatum, & illi intrinsecè inhærens, sicuti lumen gloriæ intellectui, quod illum constituit potens simpliciter adæquate, & proximè videre Deum, siue specialis modus, quo applicatur per decretum Dei ad concurrendum speciali concursu cum potentia obedièntiali, non solum per modum causæ primæ, sed quasi speciale principium effectus, quæ ratione eleuatur voluntas, quando absque vilo habitu Deo supplente vices huius producit actus supernaturales, eademque ratione eleuaretur aqua ad producendam gratiam, si de facto ad hunc effectum eleuaretur. Neque huic conclusioni quatenus asserit intellectum eleuari per lumen gloriæ, quod est qualitas illi superaddita refragatur Vasquez 1. & 3. p. & Soar 3. locis citatis, ut putavit doctus quidam: numquam enim negant hi Doctores, potentiam obedièntialem posse eleuari per qualitatem superadditam, sed asserunt potentiam obedièntialem non consistere in qualitate superaddita, & hanc esse horum Doctorum mentem est luce clarius, millies utrumque legi de hac re in locis citatis, & ubique de hac materia disputant, & nihil clarius apud hos Doctores, in quibus nihil non clarissimum reperio. Totus enim est Vasq. ut probet non posse entitatem aliàs in se non habentem virtutem, constitui potentem per qualitatem superadditam, numquam tamen negat, rem habentem virtutem obedièntialem intrinsecam secum identificatam, posse eleuari per qualitatem superadditam, imò inter Scholasticos nihil

nihil communius est, quam intellectum eleuari per lumen gloriæ ad videndum. Itaque pro hac conclusione refero plures, quos citat Ripald. disp. 41. sect. 3. cui etiam fauent quatenus asserunt potentiam posse eleuari per specialem modum, quo applicatur omnipotentia ad concurrendum cum potentia obedienciali speciali concursu distincto, quoad substantiam à concursu causæ primæ, plerique ex Doctoribus, quos refert Ripald. expressè P. Vázquez 1. p. tom. 1. disp. 45. cap. 2. P. Soar. lib. 2. de attributis negati- nis cap. 16. num. 5. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 5. disp. 1. §. *contra tamen sententia*. Valent. ibid. punct. 3. §. *ne tamen negandum est*, P. Arrub. 1. p. tom. 1. disp. 20. cap. 5. Salas 1. 2. tom. 1. quest. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 4. Her. tract. 4. disp. 67. cap. 2. Vbi hi Doctores supponunt primam partem conclusionis, videlicet intellectum eleuari lumine gloriæ, & inquirunt an possit eleuari auxilio extrinseco Dei, videlicet omnipotentia concurrente loco hominis, aliisque habitus supernaturalis ad quemlibet actum supernaturalem. In hanc sententiam interpretor eminentissimu- mum, & venerabilissimum nostrum Card. Bellarm. tom. 2. lib. 2. de effectibus Sacramentorum cap. 11. §. *tertio igitur*, & P. Val. tom. 4. disp. 3. puncto 1. §. *est igitur*, §. *verior igitur*, & puncto 2. §. *hæc sententia*, asserentes potentias obedienciales eleuari per modum quemdam, quem Deus im- primit creaturæ, quæ per potentiam obediencialem con- currit, qui modus in horum Doctorum sententia intelli- gendus de auxilio extrinseco, seu decreto speciali Dei, quo Deus decernit concurrere cum creaturis, Verbi gratia: cum aqua in sacramento Baptismi ad producendam gratiam, quia per illud decretum determinat aquam ad efficiendam gratiæ, ad quam ipsa non valebat se determi- nare, causa verò quæ aliam determinat determinat mo- uere dicitur. Sunt alij Thomistæ asserentes potentiam obediencialem eleuari per motionem quamdam virtuosa- m, de qua plura dicunt, quæ non possunt intelligi de hoc speciali decreto concurrendi, neque paucis explicari, illos non parè, & satis solidè impugnant nostri, præcipue Soar. Valentia, Alarc. & Ripald. locis citatis.

16 Conclusionem probare: eleuare potentiam nihil aliud est, quam constituere potentiam proximè in actu primo po- tentem elicere actus supernaturales, aliòve effectus, quos potentia ex se non poterat efficere ex defectu virtutis adæ- quatæ ad illos efficiendos: ergo per illud eleuatur virtus obediencialis, per quod constituitur in ordine ad effectus, respectu quorum obediencialis potentia dicitur eodem modo disposita, ac est ad alios effectus, quos naturaliter producit: sed per lumen gloriæ eodem modo est intelle- ctus in ordine ad visionem inrituiam Dei, ac mea potentia visua, per speciem coloris ad colorem videndum: ergo per lumen gloriæ eleuatur, quia posita lumine gloriæ in intel- lectus, debitus est concursus ad visionem Dei eodem modo ac est debitus concursus ad visionem albi posita specie al- bedinis in potentia visua: ergo per illud lumen gloriæ eleuatur intellectus ad visionem supernaturalem. Simili- ter quando Deus supplet vices luminis gloriæ, id præstat omnipotentia applicata per decretum, quo Deus vult concurrere loco luminis: ergo si lumen eleuabit poten- tiam ad visionem, quando Deus specialiter concurrat loco illius, omnipotentia per illud decretum applicata poten- tiam eleuabit. Idem dico de aqua, quæ Deus concurreret ad producendam gratiam in Sacramento Baptismi, si aqua physicè gratiam produceret, quæ eleuaretur per decretum, quo Deus applicaret omnipotentiam ad talem concur- sum, vel omnipotentiam applicatam ex vi illius decreti ad concurrendum simul cum aqua. Confirmatur eadem conclusio. Intellectus potentia obediencialis dicitur ad visionem (idem dico de qualibet entitate similem poten- tiam habente ad quemcumque effectum) quia potest ele- uari ad visionem, ad quam non habet virtutem adæquatè proportionatam, neque potentiam adæquatè proportionari per aliud principium illi naturaliter coniunctum: ergo eleuatio potentie obediencialis debet distingui ab ipsa potentia obedienciali, aliàs potentia obediencialis per se ipsam esset eleuata ad effectum, & intellectus per se ip- sum diceretur eleuatus ad visionem beatam, quod est hæ- reticum, sed hæc eleuatio non potest consistere in ipso ef- fectu, quia antequàm sit effectus, & actio, ex vi cuius pro- ducitur, debet supponi eleuatio, quia potentia eleuatur vt producat effectum, ad quem ipsa est improporionata, & vt constituitur proportionata ad illam, & antequàm sit

productio debet supponi potentia ex parte actus primi proportionata ad illam: ergo eleuatio debet se tenere ex parte actus primi: aliàs debet esse indebita, & distincta à potentia obedienciali: ergo debet consistere in illo quod se tenet ex parte actus primi distinctum à potentia obe- dienciali, & illi indebitum: ergo respectu intellectus vi- dentis Deum est lumen gloriæ, quia respectu visionis Dei lumen gloriæ est quod se tenet ex parte actus primi, vt indebitum intellectui & distinctum ab illo: ergo quando in- tellectus visionem producit supplet Deo vices luminis eleuantis eodem modo, quo illas supplet, eleuat intelle- ctum. Dico omnipotentiam eleuare intellectum, vel aliam potentiam, quando supplet vices habitus iuxta sententiam asserentem, posse potentias naturales actus supernaturales elicere ex vi huius extrinseci auxilij, de cuius veritate non curo. Tantum enim assero supposita hac opinione, omni- potentiam esse principium formaliter eleuans potentiam: quod si hæc opinio falsa esset, & non possit intellectus sine lumine gloriæ Deum videre, semper lumen gloriæ eleua- bit potentiam ad visionem. Idem dico de quocumque alio habitu supernaturali respectu suorum habituum.

Vnum in hac re nota, numquam esse potentiam adæ- quatè eleuatam, etiam si habeat aliquod principium indebitum quovisque habeat omnia illa requisita ad actum, quibus positis reliqua omnia naturaliter illi possent con- iungi. Rem explico: indiget potentia obediencialis, quam habet voluntas ad amandum Deum amore supernaturali, habitu charitatis, & cogitatione supernaturali: etiam si ha- beat habitum charitatis non est adæquatè eleuata, si non habeat cogitationem supernaturalem inclinante ad amorem Dei, quia adhuc deficit voluntati ad illum amo- rem eliciendum quoddam principium, sine quo non potest amare Deum, quod non potest naturaliter acquire- re, neque illi debitus est. Si tamen voluntas habeat ha- bitum supernaturalem, & cogitationem supernaturalem ad actum, etiam si non intelligatur omnipotentia applicata ad præstandum concursum generalem causæ primæ, po- tentia intelligitur adæquatè eleuata, quia hic concursus generalis causæ primæ debetur potentie volitive pro sua libertate supposito habitu, & cogitatione supernaturali inclinante ad actum. Si dicas etiam supposito habitu de- beri voluntati saltem aliquam cogitationem sufficientem ex vi habitus ad actum supernaturalem ad quem datur ha- bitus, ac proinde supposito tantum habitu voluntatem esse sufficienter eleuatam ad actum, quia reliqua ad illum re- quisita naturaliter habitum supernaturalem comitantur. Respondeo non esse huius loci antecedens examinare, quod si verum esset, rectè procedit illatio facta, id enim tantum ego assero, potentiam non esse eleuatam adæqua- tè quovisque habeat omnia requisita ad effectum, quibus positis, reliqua, quæ ad illum efficiendum deficiunt naturali sequela coniungantur.

Dico quintò & vltimò, potentiam obediencialem quo- ad modum tantum effectus; verbi gratia, ignem respectu caloris producti in passo distanti, quem posset producere in eodem subiecto approximato, eleuari per decretum, quo Deus vult præstare concursum illum supposita distan- tia passi non debitus, sed per omnipotentiam applicatam ex vi talis decreti, quod est idem. Idem dico de eleuatio- ne, quæ potest eleuari ignis ad producendam formam ignis in materia habente dispositiones ad formam ligni, & non ad formam ignis, seu in materia, in qua Deus decreuerat conseruare formam præexistentem. In quibus casibus, id tantum esset supernaturale, ad quod idem concursus, qui cum aliis circumstantiis debitus esse possit, cum his sit inde- bitus. Hæc conclusio eodem modo probanda est ac præce- dens, quia ex vi talis decreti applicantis omnipotentiam, seu ex vi omnipotentie applicatæ per tale decretum, est ignis in actu primo ad producendum effectum, quem cum illis circumstantiis non posset naturaliter producere: ergo ex vi omnipotentie sic applicatæ eleuatur supra proprias vires ad producendum effectum cum his circumstantiis, quibus naturaliter illum producere non posset.

Ex hoc infero potentiam vt eleuatam dicere in recto potentiam obediencialem, & in obliquo habitum superna- ralem, vel aliud principium indebitum, siue intrinse- cum, siue extrinsecum, sicuti omnipotentiam applicatam modo supradicto ad effectum producendum. Verbi gra- tia: intellectus vt eleuatus ad visionem dicit intellectum vt habentem lumen gloriæ, qui sic acceptus non est idem

ac intellectus, & lumen gloriæ, quia intellectus habens lumen gloriæ tantum dicit in recto intellectum, & intellectus, & lumen gloriæ dicit utrumque in recto, ratione cuius distinctionis diuersa possunt prædicari de illis, hæc est enim vera prædicatio: *Intellectus habens lumen gloriæ est causa partialis visionis.* Et hæc est falsa: *Intellectus, & lumen gloriæ sunt causa partialis visionis.* Similiter hæc est vera prædicatio: *Intellectus, & lumen gloriæ sunt principium adequatum visionis.* (loquor de principio adequato creato) & hæc est falsa: *Intellectus habens lumen gloriæ est principium adequatum visionis.* De his dixi Controuers. 5. puncto 1. num. 6. Vbi dixi totum non distingui à partibus, & vnione simul sumptis, distingui autem à partibus virtutis simul sumptis, aliud enim est partes & vnio, aliud partes vnite. Secundum hanc doctrinam faciliè intelliges quomodo potentia obedientialis ut eleuata, verbi gratia, intellectus ut eleuatus per lumen gloriæ, non sit principium adequatum visionis, etiam si intellectus, & lumen gloriæ sint principium adequatum illius. Vide dicta de his significatis in recto, & in obliquo Controu. 5. Punct. 4. citato.

PUNCTVM IX.

Vnde agnoscenda sit causa adequatè sufficiens.

I Hic quæstioni occasionem dedit P. Vasquez 1. part. tom. 1. disput. 4. cap. 2. & 4. vbi negat præter lumen gloriæ requiri in intellectu beati aliud comprincipium ad visionem intuitiuam Dei, vel concursum alium præter generalem omnium causarum, ex eo quod visioni correspondent ex parte luminis gloriæ, & intellectus omnia prædicata quæ sunt in ipsa, visio enim habet vitalitatem, quæ intellectui tribuitur, habet supernaturalitatem, & esse circa tale obiectum, quæ correspondent luminis gloriæ. Doctrinam hanc infert Vasquez ex principio valde sibi familiari, videlicet causam adequatam esse illam, cui correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu. Ne putes correspondentiam hanc inter prædicata effectus, & causæ ita esse intelligendam, ut hoc prædicatum dependeat realiter ab hac causa, & non ab alia, & illud ab illa, & non ab hac, aduertere oportet nostrum Vasquez, non asseruisse vitalitatem actus dependere ab intellectu, & non à lumine, & supernaturalitatem à lumine, & non ab intellectu, quia vitalitas, & supernaturalitas sunt in visione omnino idem, & implicat vnum ex his prædicatis dependere ab aliquo principio, à quo physice, & realiter alterum non dependeat. Quia tamen nihil vitale potest produci, nisi principium saltem inadæquatum sit vitale; neque supernaturale, quin principium actuum saltem parziale sit etiam supernaturale, ideo supernaturalitas effectus tribuitur principio partiali, quod est supernaturale, & vitalitas alij comprincipio, in quo ratio vitalis reperitur, licet effectus secundum se totum à qualibet causa partiali inadæquatè, & ab omnibus adequatè physice eodem modo dependeat. Ex quo inferitur hanc attributionem formaliter esse per rationem cum fundamento tamen in aliquo reali, videlicet non posse produci quid supernaturale à principio adequato iure naturali, neque quid vitale à principio adequato non vitali.

2 Doctrinam hanc approbat, & explicat Hurtad. disput. 9. sect. 5. quam multi ita firmiter amplectuntur ut virtutem actiuam pluribus entitatibus respectu aliarum negent ex eo præcisè, quod nullum prædicatum agnoscant in effectu, quod illis correspondeat. Existimo tamen non ita vniuersaliter esse admittendam, sunt enim plures effectus, quorum causas non possumus hac prædicatum correspondentiam metiri, quod faciliè ostendo. In causis vniuersis mater habet omnia prædicata, quæ habet filius, & nulla potest formalitas assignari in prole, quæ non reliceat in matre, & tamen iuxta communem sententiam, mater est causa inadæquata filij: ergo non est bona consequentia, omnia prædicata, quæ sunt in effectu relucere in hac causa illius: ergo hæc est causa adequata. Dices hoc prouenire ex modo speciali, quo producuntur animalia per transmissionem feminis, quæ nisi inter marem, & foeminam esse non potest. Bene est: modus, quo

producuntur animalia sufficiens est, ut causa, cui correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu non sit adequata: ergo non rectè inferitur in animalibus, huic causæ correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu: ergo est causa adequata. Deinde sicut ratione huiusmodi, quo animalia producuntur, deficit consequentio prædicta in hac materia, sic ratione alijs specialis modi, quo alia entitas producatur, vel ratione alijs intrinseci prædicati, quod habet effectus, poterit in alia materia deficere. Dices hanc correspondentiam non futuram formaliter, sed eminenter. Sed hanc solutionem efficaciter ita-
tim reijciam.

Accedo ad causas æquiuocas, in quibus correspondentia formalis non reperitur, quia effectus est diuersæ rationis à causa & prædicatum specificum illius in causa non reperitur. Prædicata effectus eminenter correspondere causæ æquiuocæ, nihil aliud est, quàm eminenter contineri effectum in causa, & contineri effectum in causa, nihil aliud importat, quàm causam habere virtutem ad effectum producendum: ergo idem est formaliter prædicata effectus correspondere causæ, & causam eminenter continere effectum, & causam posse producere effectum: & si velis hæc mente præcindere, notius omnibus erit causam posse effectum producere, quia debent à posteriori cognosci ex productione, & hæc quod primò, & clarius inferri, est potentia ad ipsam, hæc enim consequentia: effectus producit à causa: ergo potest illum producere, neque rusticum latet; hæc autem, effectus producit à causa: ergo causa effectum continet eminenter, ad terminorum apprehensionem peritorem hominem desiderat, etsi his apprehensis, æquè clara sit, ac præcedens: ergo non rectè explicatur ratio causæ adequatæ per correspondentiam eminentiorem adequatam causæ ad effectum, cum non explicetur ignotum per magis notum, sed per æquè ignotum, vel ignotius. Ut rem explicem, inquiram Sol sit causa adequata auri: Si affirmes, ex eo quod illi correspondeant omnia prædicata, inquiram, ex quo capite tibi notum sit correspondere omnia prædicata? Si neges eo quod illi omnia prædicata auri non correspondeant, rogabo, unde noueris non correspondere omnia prædicata auri Soli? nullum tibi supererit fundamentum ad affirmandam, vel negandam hanc eminentiorem correspondentiam, ex quo non posses causalitatem adequatam, vel inadæquatam Soli concedere respectu auri hac exclusâ prædicatum correspondentiam.

Respondere posses ex doctrina Hurtadi §. 53. tunc effectum non contineri adequatè in causa æquiuoca, etsi illo perfectiori, quando in effectu continetur ratio aliqua, vel causa indiget alio comprincipio determinatiuo, ratione cuius causa perfectior effectum non potest adequatè illum producere; tunc verò causam æquiuocam continere effectum adequatè, quando est perfectior illo, & ipsa nullo indiget determinatiuo, neque effectus ex modo, quo producit indiget dependere ab alio. Hac ratione explicatur quomodo intellectus neque anima, siue ab intellectu distincta, siue identificata cum illo non sit causa adequata visionis Dei, neque cuiusvis cognitionis creatæ etiam illa perfectior sit, quia ad producendam quamcumque cognitionem indiget anima determinatiuo alio comprincipio, & ad producendam visionem intuitiuam Dei indiget hoc determinatiuo: & insuper visio indiget alio comprincipio supernaturali, ratione cuius non potest adequatè produci ab anima naturali secundum suam substantiam. Eadè ratione explicatur, quomodo intellectus instructus lumine gloriæ, non indiget alio comprincipio ad producendam visionem, quia neque ex parte effectus est aliquod prædicatum, ratione cuius petat ab alio comprincipio dependere, neque intellectus instructus lumine gloriæ alio indiget determinatiuo, principium enim constitutum ex intellectu, & lumine, physice perfectius est visione, ex quo inferitur illi correspondere omnia prædicata visionis, & esse principium adequatum illius. Totam doctrinam admitto, sed adhuc mihi difficultas. Vnde scire poterimus, hoc principium indigere alio determinatiuo, & illud non indigere hunc effectum habere speciale prædicatum, ratione cuius petat dependere ab alio principio, & non possit adequatè dependere ab hoc, quod perfectius est effectui producendo? Ratio aliqua assignanda est ad hæc cognoscenda, ex qua dicam ego cognosci causam adequatam, vel inadæquatam effectus.

Rem